

## Texte 3 : Pétrone, *Satiricon*, 49-50

---

1 Nondum efflauerat omnia, cum repositorium cum sue ingenti mensam occupavit. Mirari nos  
2 celeritatem coepimus, et iurare ne gallum quidem gallinaceum tam cito percocui potuisse,  
3 tanto quidem magis, quod longe maior nobis porcus uidebatur esse, quam paulo ante aper  
4 fuerat. Deinde magis magisque Trimalchio intuens eum: "Quid? quid? inquit, porcus hic non  
5 est exinteratus? Non mehercules est. Voca, uoca cocum in medio". Cum constitisset ad  
6 mensam cocus tristes et diceret se oblitum esse exinterare: "Quid, oblitus? Trimalchio  
7 exclamat, putes illum piper et cuminum non coniecisse! Despolia!" Non fit mora, despoliatur  
8 cocus atque inter duos tortores maestus consistit. Deprecari tamen omnes coeperunt et dicere :  
9 "Solet fieri. -- Rogamus mittas. -- Postea si fecerit, nemo nostrum pro illo rogabit". Ego  
10 crudelissimae seueritatis, non potui me tenere, sed inclinatus ad aurem Agamemnonis: "Plane,  
11 inquam, hic debet seruus esse nequissimus: aliquis obliuisceretur porcum exinterare? Non  
12 mehercules illi ignoscerem, si piscem praeterisset". At non Trimalchio, qui relaxato in  
13 hilaritatem uultu: "Ergo, inquit, quia tam malae memoriae es, palam nobis illum exintera".  
14 Recepta cocus tunica cultrum arripuit, porciq; uentrem hinc atque illinc timida manu secuit.  
15 Nec mora, ex plagis ponderis inclinatione crescentibus tomacula cum botulis effusa sunt.  
16 Plausum post hoc automatum familia dedit et "Gaio feliciter!" conclamauit. Nec non cocus  
17 potione honoratus est, etiam argentea corona.